

DE LEONE STATUARIO RHODIO

Non nisi magna cum haesitatione pro magnis illis et humanissimis, quae ab Alexandro Constantini f. viro Rossico doctissimo et inter alia imprimis de rebus epigraphicis optime merito accepimus, parva haec ni dicam minutissima reddere ausus sum. Minima non curat praetor – at non praetor est, sed amicus et ex stelocoparum gente: curabat, ergo curabit et, ut spero, gaudebit.

Revidenti mihi omnes quoad hucusque notas statuariorum Graecorum subscriptiones, ut post Emmanuelem Loewy, *Inscripfen griechischer Bildhauer* (Lipsiae 1885) denuo tractarem easdemque adderem editioni alteri auctiorique operis celeberrimi et fructuosi, quod a. 1868 edidit Ioannes Overbeck inscripsitque *Die antiken Schriftquellen zur Geschichte der bildenden Künste bei den Griechen*, apparuit titulus ille Caunius, quem Christianus Marek corpusculo suo titulos Caunios continenti (*Die Inschriften von Kaunos*, Vestigia 55 [Monaci 2006]) sub n. 59 inseruerat. Exaratum in basi e marmore albo, a. 0,62, l. 0,62, cr. 0,51, hunc titulum difficillimum lectu idem vir doctissimus edidit hoc modo:



Δημητρία Νικασίου
 Σημωνίδην Διονυσίου
 vac. τὸν υἱὸν] θεοῖς,
 [-----]
 [----]ENI [...]O.A [----]
 [-----]

adiditque hoc de versu quarto: “Bei den Buchstabenresten unterhalb der Inschrift könnte es sich um eine Künstlersignatur handeln”.

Ex tribus illis litteris, quas in v. 4 viderat Marek, iam satis suspicatus eram Menippi nomen inter statuarios Rhodios bene notum, et vero ex ectypis imaginibusque photographis quas rogatu meo qua est humanitate e Turico miserat Berolinum, recognovi hanc eius subscriptionem:

ΛΕΩΝ ΜΕΝΙΠΠΟΥ ΔΙΟΥ ΕΠΙΣΤΗΛΗΣ

Λέων vac. Μενίππο[υ vac. Ἐπίσ[τηλοσ vac.] ἐπι[σ]τήλῃ.

Leon¹ ex artificum Rhodiorum gente nobilissima, patre Menippo artifice Coo, Mnasitimi discipulus, saec. III a. exeunte vel saec. II a. ineunte Lindi et Rhodi artem suam exercuit. Opera eius adhuc innotuerunt haec quinque: statua Eucratis, Minervae Lindiae sacerdotis a. 210 a. (*Lindos: fouilles de l'Acropole* II [Berolini 1941] 157); donarium Nicagorae praetoris, qui a. 201/197 a. in bello contra Philippum V excelluit (*Lindos* II 151); signum Hagetoris, saec. II a. ineunte a collegis hierotamiis donatum (*Lindos* II 164); statua viri Rhodii ignoti (*Clara Rhodos* II [Rhodi 1932] 215 n. 54); Euphranoris donarium Rhodium (A. Maiuri, *Nuova silloge epigrafica di Rodi e Cos* [Florentiae 1925] 18 n. 15).

Semonidis quoque statuam Cauniam, a matre Demetria positam, saec. II ineuntis esse nunc patet. Statuarios autem Rhodios Cauni quoque in artibus suis versatos esse, nihil est quod mireris.

Klaus Hallof
Inscriptiones Graecae, Berlin

В статье предлагается восстановление имени скульптора в последней строке опубликованной Кр. Марекком надписи из г. Кавна: это был родосский скульптор III–II вв. до н.э. Леон, сын Мениппа, известный и по другим надписям.

¹ De Leone scripserunt: Chr. Blinkenberg, *Lindos: fouilles de l'Acropole*. II (Berolini 1941) col. 54 n. 59; V. G. Goodlett, “Rhodian Sculpture Workshops”, *AJA* 95 (1991) 676 cum stemmate fig. 3; P. Schollmeyer, “Leon II”, in: *Künstlerlexikon der Antike* II (Monaci 2004) 12; G. Zimmer et K. Mpairame, *Ροδιακά έργαστήρια χαλκοπλαστικής* (Athenis 2008) 83–84 n. 71.